



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

30. Tunc parebit signum filij hominis in cœlo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

Christi passionem ac mortem longè prospicere, credere, contemplari, vt citati Patres exponunt, vel Christum ad Iudicium venientem (de quo Iudicio hoc loco disputatur) celerrimè cognoscere, & ad eum resumptis vndequaue corporibus suis admirabili promptitudine aduolare & congregari. Vt cunq; est, vt in priori sua expositione insulsus & impius, ita in hac posteriori reprehensione stultus & temerarius Calvinus fuit.

30. *Tunc parebit signum filij hominis in celo.*

HOc signum filij hominis, id est, Christi, quod eo ad Iudicium veniente in celo comparebit, ipsam esse venerandam Christi Crucem quæ suo fulgore mundum illuminabit, sole tum & luna ceterisque syderibus sua luce priuatis, summo & vnanimi consensu docet Patres, Origenes tract. 30. in Matth. Chrysof. homil. 77. in Matth. Hilarius, Hieronymus, Euthymius, Theophyl. in comment. in hunc locum, Hippol. in orat. de cõsummatione mundi, Ephrem in lib. de pœnitentia cap. 3. Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 12. Cyrillus Hierosol. in orat. ad Constantium, & Eusebius Emisenus in lib. allegoriarum. Quorum Patrum fidem & apertum huius loci sensum sequuta Ecclesia in officio publico fideliter canit: *Hoc signum Crucis erit in celo, quum Dominus ad indicandum venerit.* Quam profectò ob causam toto hoc intermedio tempore Crucis signum meritò veneramur. Nam nisi signum Crucis communiter fidelibus in Ecclesijs & domi interea temporis proponeretur, illius aspectus in die Iudicij non magis moueret quàm signum lanceæ, aut flagelli, aut spongiæ, aut alterius cuiuspiam rei quæ
ad

Cruce
Christi
fulgida in
Iudicio
extremo.

ad Christi passionem pertineret. Vnde hæretici tollentes hodie passim ex hominum conspectu Crucis signum, & nusquam illud defigi permittentes, id imprimis agunt, vt eius aspectus in die Iudicij nihil prorsus eos moueat: nisi fortè ad blasphemiam aut confusionem. Calvinus igitur hoc loco de signo Crucis altum silentiũ tenens, hæc Christi verba, *De signo filij hominis quod parebit in caelo*, ad alium longè sensum detorquet. Sequitur (inquit) *signi illius explicatio, quòd filium hominis videbunt super nubes venientem, qui sub habitu serui contemptibilis tunc in terris agebat*. Atqui tanquam distincta hæc & diuersa Matthæus narrat. Primum, *Tunc parebit signum filij hominis in caelo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli*. Tria dicit Marthæus, primũ de signo 1. filij hominis apparente in caelo, deinde de planctu infidelium, qui signum illud eo vsque contempserunt (*Crux enim Christi Iudæis scandalum, 1. Cor. 1. Gentibus stultitia erat*) tertio quòd Christum videbunt venientem in nubibus. Distincta hæc sunt & diuersa, nec vnũ alterius explicatio est. Aliud est signum filij hominis, aliud ipse filius hominis in persona propria; aliud signum præcedens, aliud res signata subsequens; aliud in caelo apparere & fulgere, aliud in nubibus caeli venire cum virtute multa & maiestate. Ridicula igitur & insulsa Caluini euasio est, & literæ Euangelicæ repugnans. Communis tot Patrum intelligentia, cuius insano hæretico, nedum Caluino anteponenda est.

36. *De die autem illa & hora nemo scit nisi solus Pater.*

QVVM ad hũc locũ qui pro Arianis facere videtur, quia Christũ ea ignorare ponit quæ solus Pater nouit, vnde Marc. c. 13. addit, *neq. Filius,*

Verborum
explicatio.

V 5 & olim